



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De libertis qui à quibuscunque manusmissi sunt. clxxxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Ex eodē
concil. 3.
ca. 70.

Liberti Ecclesie, quia nunquam moritur eorum patrocini-
na à patrociniis eiusdem nunquam discedant, nec
steritas quidem eorum, sicut priores canones decreuerunt.
Et ne fortè libertas eorū in futura prole, non pateat, ipse
que posteritas naturali ingenuitate obtinens, sese ab
Ecclesie patrociniis non subtrahat, necesse est tam iidem
liberti, quam ab eis progeniti professionem episcopo
faciāt, per quam se ex familia Ecclesie liberos effectores
fateantur, eiusque patrociniis non relinquunt, sed in
virtutem suam obsequium ei, vel obedientiam præbeant.

De libertis, qui à quibuscunque manumissi Ecclesie patrociniis
commendati sunt. Cap. CLXXXVI.

Ex eodē
3. ca. 72.

Liberti, qui à quibuscunque manumissi sunt, atque
Ecclesie patrociniis commendati existunt, sicut regum
antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione
à cuiuslibet insolentia protegantur, siue in statu libe-
tatis eorum, seu in peculio quod habere noscuntur.

De manumissis in Ecclesia. Cap. CLXXXVII.

Ex eodē
Arausi-
co, ca. 6.

IN Ecclesia manumissos, vel per testamentum Ecclesie
commendatos, si quis in seruitutem, vel in obsequium
ad colonariam conditionem imprimere tentauerit, in
maduersione ecclesiastica coërcetur.

De fugitiuis ecclesiasticis seruis. Cap. CLXXXVIII.

Ex eodē,
Toletan.

Fugitiuos etiam seruos ecclesiasticos domos suas, et
familias deserētes, qui etiam si reuocari fuerint, tene-
ri non possunt, simili ratione ab episcopo, si voluerit, et
si ita illi meruerint, distrahantur.

De episcopis, qui nihil suis Ecclesiis conferunt, et tamen ex fa-
miliis liberos facere præsumunt. Cap. CLXXXIX.

Ex eodē.

Episcopi, qui nihil ex proprio suo Ecclesie Christi con-
ferunt, liberos ex familiis Ecclesie ad condemnationem
suam facere non præsumant. Impium est enim, ut qui
res suas Ecclesie Christi non contulerit, damnum Eccle-
siae inferat. Tales igitur liberos successor episcopus, ab-
que aliqua oppositione ad ius Ecclesie reuocabit.